


**Jacobus Fabricius Collegii Medici In Academia Rostochiensi Decanus Et Professor Ordinarius, Ad disputationes inaugurales Dn. Johannis Mellingeri Hildesheimensis, & Dn. Johannis Belovii Rostochiensis, Medicinae Candidatorum , publice habendas die XXI. Augusti, Magnif. Dn. Rectorem, Omnesq[ue] omnium Ordinum Doctores, Professores, Magistros, Ecclesiae & Scholae Senatoriae ministros, aliosq[ue] bonarum literarum & literatorum fautores & amicos vocat ac invitat**

Rostochi[i]: Richelius, 1628

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn742565211>

Druck Freier  Zugang






F. J. <sup>105</sup>  
~~F. J.~~ XXVIII

Ma-3835<sup>1-26</sup>





# IACOBUS FABRICIUS

COLLEGII MEDICI IN ACADE-  
MIA ROSTOCHIENSI DECANUS  
ET PROFESSOR ORDINARIUS,

*Ad*

disputationes inaugurales

Dn. JOHANNIS MELLINGERI  
Hildesheimensis,

et

Dn. JOHANNIS BELOVII  
Rostochienlis,

Medicinæ Candidatorum,

*publicè habendas die XXI. Augusti,*

Magnif. Dn. Rectorem,


Omnesq; omnium Ordinum Doctores, Professo-  
res, Magistros, Ecclesiæ & Scholæ Senatoriæ ministros,  
aliosq; bonarum literarum & literatorum fautores & ami-  
cos vocat ac invitât.



RostochI

Typis Richelianis, Anno M. DC. XXVIII.





Naturæ contemplatio una est, eaq; potissima. Artis-Medicæ pars, primo non sine causâ loco ab ijs, qui Medicinam ordine pertractarunt, explicata. Usq; adeo hæc necessaria Medico, ut scribente Hippoc. lib. de veteri Medicinâ, qui eam nescit, nec omnino studio, ut cognoscat, adicitur, aliquid istorum, quæ fieri debent, rectè præstare nequeat. Sub eâ plenissimè addiscimus, quanam hominis sint Elementa, quæ Temperamenti ratio, quæ humorû indoles, quæ membrorû fabrica, quis positus singulorum & nexus, quis denique omnium horum usus; item quæ facultatum, quibus regimur, vis atq; potestas; quæ actionum ab his manantium causâ, quæ nativi caloris, quæ spirituum in nobis substantia, quæ generationis, conceptusq; & formationis industria. Nimirum tanta & talia ex Physiologiâ seu Naturæ contemplatione obtinemus, ac proinde illud commodi inde capeffimus, ut eâ exactè cognitâ, morbos quoq; horumq; causas & symptomata scire non sit difficile; utpote qui nihil aliud, quam à naturali habitu secessus quidam sunt, viciatarum actionum in humano corpore origo. Quid porro Natura sit, quid possit, quæ in nobis efficiat, quidq; illius proprium, ab Hippocrate Laconicè expositum est, cum dixit, Naturam omnium rerum generationi principium subministrare: Etenim rerum omnium Natura est efficiens adeq; principium; siquidem, unde quidpiam primò fit, motusq; & mutatio incipere solet, principium etiam ipsi Aristoteli indigetatur. Galenus; hanc;

hanc doctrinam Asiatico suo stylo libris de Elementis, de  
temperamentis, de usu partium, de Anatomicis administra-  
tionibus, de foetuum formatione, de semine, de naturalibus  
facultatibus, de placitis Hippocr. & Platonis, & isto, quo  
quærit, an sanguis in arterijs contineatur, & an animal sit,  
quod in utero, persecutus est, ita quidem ut omnes sui seculi  
Medicos ac Philosophos longo post se intervallo reliquisse  
nulli non fuerit exploratum. Naturæ itaq; nomine in Ar-  
te Medicâ audire oportet omnem, quâ regitur animal, fa-  
cultatem, sive ea animi imperium & ductum, sive inferioris  
potentiæ, quam vegetativam nominamus & naturalem,  
sequatur motum; Illa est, quæ corpus fovet ac tuetur, quæ  
alimoniam illi suggerit, alimentum concoquit, in partes  
distribuit, partibus apponit, unit atq; assimilat; illa est, quæ  
somnia ad animantis quietem conciliat, quæ sensus omnes  
ad sua ipsorum munia perfungenda excitat, & dum fragili-  
tate quadam in morbum corpus labi contigerit, ea ipsa est,  
quæ morbos curat, decretoria facit, noxia expellit, & sibi  
vias præstruit, quæ quoq; in ipsis morbis primò concoctio-  
nem, deindè discretionem, demum vacationem noxiorum  
molitur: Hæc naturæ opificis propria munia sunt, quæ ex-  
ercere nunquam desinit, sed semper & indefinenter aliquid,  
quod salubre sit, machinator, ut ideò Hippocrates & Ga-  
lenus eam justissimam, prudentissimam, artificiosam, &  
providentissimam passim appellarint. Quæ certe elogia  
verissima esse, notius est, quam ut multis probari opus ha-  
beat, Si namq; suum cuiq; tribuere, justitiæ officium est, qua-  
liter non erit omnium justissima, dum ventriculo, Epato, Cor-  
di, Cerebro, imò omnibus *πὸ δέοντα* attribuit? Quippe ut  
ex semine & sanguine menstruo, velut primordialibus  
principijs, corpora nostra effinxit, ac formavit; ita aptè  
dispositis universi corporis partibus, ut quantum cuiq; ad  
A 2 usum,



usum, dignitatemq; officij dandum sit, tantum profectò datur  
& largissimè confert: unde partium quasdam principes,  
quasdam principibus ministrantes, alias adhuc viliores con-  
ditas intuemur. Prudentiam illius multa animalium ope-  
ra, quæ sine doctrinâ effecta, doctore tamen quopiam ac-  
duce, naturâ monstrante, fieri cernimus, locupletissimè o-  
stendunt. Quale est, recens eductum, & adhuc ex utero  
matris rubentem puerum, arreptâ pupillâ lac sugere, can-  
tu & suavi voce atq; adloquio delectare, somnum ab-  
hausto lacte capere, & dum lac sugit, placido maxillarum  
linguæq; motu illud trahere; Anne hoc prudentis & ad-  
modum eruditæ naturæ opus dicitur? In doctas quidem lib-  
de alimento, animantium Naturas scripsit Hippocr. id est  
non consilio, aut delectu agentes; nihil secius tamen velut  
edoctæ operantur, impelluntq; ad id, quod animanti sic usus.  
Insigne illius nec satis depingendum artificium, ne de alijs  
omne miraculum superantibus quidpiam commemorem,  
plusquam satis inimitabilis animalium cunctorû structura  
demonstrat. Hæc enim tam artificioso partium nexu, fir-  
mitudine, formâ atq; usu constat, ut nihil accommodatius,  
nihil ad speciem, & ornatum pulcrius spectari possit. Tanta  
ubiq; partium omnium datur proportio, ut ad eam cuncta  
referât ingeniosissimi Architecti, ædes, templa, & omnis ge-  
neris machinas componât, quin & ejus exemplo vastissimâ  
illam Noë navē, quam Arcam vocant, artificiosè constru-  
ctam scribunt, nō imi subfellij autores. Et si rem rectè ad Ar-  
chitecturæ leges & jucundissimas ejus *ἰχνογραφίας* pensitemus,  
& intueamur, sicut humani corporis moles in longitudine  
trecenta habet minuta, in latitudine quinquaginta, in altitu-  
dine triginta; ita longitudo Arcæ trecentorû, latitudo quin-  
quaginta, & altitudo triginta fuit cubitorum. Certè anti-  
quissimus Zoroaster, super hominis fabricâ exclamavit, *πλ-*

μυγα-

μεγιστῆς τῆς φύσεως ἀρετῆς: Abdala omnem admirationis  
captum excedere, Favorinus nihil in terris magnum præ-  
ter hominem. Hermes Trismegistus miraculum magnum,  
animal adorandum & venerandum, Deum mortalem, Py-  
thagoras cunctorum rerum mensuram, Plato *ἡμετέριον*  
*ἡμετέριον*, alij aliter magni istius mundi simulacrum expresse-  
runt. Deniq; sollicitam Naturæ providentiã illa designant, quæ in  
morbis gravissimis & exitialibus, ut sanetur æger, moli-  
tur, cum adversus morbificam causam cum impetu insur-  
gens, miro & indicibili modo sæpè ægrum restituit, quem  
moriturum dicebant adstantes omnes. Nimitum hi pro-  
videntissimæ Naturæ, & de sui conservatione admodum  
sollicitæ sunt motus, singulares admodum, & Artis Medicæ  
præceptis nõ compræhensibiles. Plato illã divinã usq; arctè  
in Parmenide & Timæo conjunxit, ut sine illorum tracta-  
tione integram de Naturã enarrationem perfici non posse  
existimarit. Neq; verò *ἀλόγως* divinitatem simul cum  
Naturã copulasse videtur, quod sicut divina naturalium  
principia sunt, ita & naturalia divinorum effectus atq; ima-  
gines, imò Natura ipsa non infimum divinæ providentiæ  
instrumentum. Istius nobilitatem & vim idem Autor mi-  
rabili quodam & ingenioso figmento explanare satagens,  
eam columnæ erectæ, plurimòq; lumine Iridi simillimo il-  
lustratæ, ac per cœlum terramq; diffusæ comparat. Lumen  
verò illud cœli vinculum vocat, ut intelligamus columnæ  
hujus specie, vitalem quandam & seminariam virtutem, lu-  
minis nomine designatam, omnia quidem implentem, ac  
colligantem, seseq; per omnia fundentem, ab ipsã mundi  
animã materiæ infusam, quæ propterea lumen dicitur, quo-  
niam penetrans & vitalis: Recta item vocatur columna,  
quia per longum totam undique & ubiq; materiam pene-  
trat, multos formarum gradus proferens specie, formãq;  
A 3. diffe-

differentes: Dicitur etiam per omnem extendi partem, & cœlū undiq; alligare, quia tota ubiq; adest, omnia continet, multaq; tanquam per latera quædam inter se æqualia & similia propagat; ; ita tamen, ut ex longitudine ad latitudinem perveniat, quoniam penetrando diffunditur, & quatenus diffunditur implet, regitq; implendo. Quorsum & respexit Virgilius vi. Æneid.

*Cælum ac terras, camposq; liquentes,  
Lucentemq; globum Luna, Titaniaq; astra  
Spiritus intus alit, totamq; infusa per artus  
Mens agitat molem, & magno se corpore miscet.*

Colorum autem Iridis in lumine illo columnari apparentium varietas, seminalium virtutum copiam diversitatemq; declarat. Ex quibus secundum divinissimi Platonis mentē Natura colligitur, quod sit vis quædā genialis, rebus omnibus infusa, ea ipsa in quæ infertur movēs, sustentans, vivificans, implens, eaq; omnia, quamdiu subjecti virtus & materiæ aptitudo perseverarit, conservans. Cui consonat Gal. in art. Medicinali, Naturam omnium *δημιουργὴν* seu opificem scribens, & longis ante illum annis Aristoteles Naturam definiens principiū & causam motus ac quietis ejus, in quo est, primò, per se, & non per accidens. Quo ipso non nisi illud principium, ex quo rerum naturalium omnium oritur essentia indigetavit, quarum quidem eadem ipsa causa est, cur vel fiant, vel mutantur, vel eodem in statu diu aut brevi tempore permaneant, Est enim Naturæ veluti maximè proprium gignere, ita & genitis rebus essentiā dare, & ut quodq; sit, hoc natura facit: nihilq; aliud essentiam rebus, quam sola Natura largitur. Dei ter opt. ter maximi beneficio, & singulari auxilio adjuta: Hæc materiam formis vestiens & exornans, unāq; corruptā, aliam denud  
profe-


proficiens, substantiæ vires, rebus quas peperit, insinuat.  
Neq; verò quod diximus, tantū Naturæ proprium est gignere & essentiã dare, verum etiam rebus ipsis, quibus substantiã præbet, vim quandam naturalem, genuinamq; potentiam & virtutem infundere, quã quod earum naturæ cõgruit, ipsæ per se efficere queant. Quidquid enim hæc vel illa planta suã iogenitã efficaciam producere valet, totū hoc habet à Naturã, cui à divinã voluntate, potestate ac benedictione statim ab initio, in primã creatione, vis illa fuit impressa & concessa. Et ab hoc principio seminario, ut procedunt individua specierum, ita & proprietates essentielles seu specificæ, in omnibus, quæ seminio univoco, vel æquivoco, aut analogo nascuntur. Itaq; fieri aliquid hominem, leonem, columbam, ranam, rosam, cichorium, aurum, bitumen, crystallum à Naturã, & seminario principio: ex quo etiam aliquid nutrimentum, medicamentū, purgans, alterans, cõfortans, venenum, vel alexipharmacum esse dependet. Nihil enim in his, quæ à Naturã gubernantur, ociosum aut temerè casuq; factum est, sed constant res naturales, suis quæq; viribus, effectibusq;, quibus in opere esse perpetuò & merito dicuntur, ut istorum causã propriissimã natura statuatur, ita tamen, ut extra res naturales non sit, sicut ars & efficientes externæ causæ ac finis. Inest præterea rebus ipsis Natura, non quidem per accidens, sicuti qualitates primæ, atq; secundæ, reliquæq; rerum accidentia: quæ etsi rebus insint, ab ijs tamen removeri absq; subjecti corruptione queunt: Non sic autem Natura, quæ ita inest, ut tanquam pars substantiæ ejus primaria & necessaria: quã quidem corruptã, necesse est compositum quoq; ex eadem, naturã corrumpi, & interire. Atq; ita quam fieri potuit brevissimis, quid Natura sit, quid possit, & quæ in nobis efficiat, expeditivimus, & audivimus Naturæ beneficio, unicuiq;

cuiq; datum, ut se, vitam, corpusq; tueatur, declinetq; ea, quæ nocitura videntur, ac omni studio inquirat, sibiq; paret, quæ ad vivendum aut bene vivendum sunt necessaria. Hujus porro Naturæ ut opificis, minister est Medicus, cui assiduo morem gerit, ac pro virili suâ, quæ ipsa perficere intercluditur opera, studiose exsequi allaborat; Alterius sic Alter opem poscit, ut tam Medicus quàm Natura, sanitatis servandæ & amissæ restituendæ conjunctim dicantur autores: Quantum vero bonum sit sanitas, quàm magnus & admodum preciosus thesaurus bona valetudo, qui prolixis verbis exprimere satagit, nã ille Solem lucentem in claro Meridie laternulâ illustrare incassum laborat. Laudandi ergo merito veniunt, qui Medicinam, & quæ Medicinæ sunt, rectè addiscere, Naturæ penetralia rimari, morbos, morborumq; causas indagare, ijsq; expellendis, & curandis omni conatu incumbere jam ab antiquo desiderarunt, digni profectò, quorum nomen celebre & magnū ad posteros propagatum, nulla unquam oblivio obscuret. Horum vestigijs inter alios etiam hæcenus insisterunt, & tam veterum, quàm recentium optimæ notæ Autorum scripta diligentissimè pellustrarunt, quos jam vobis sistimus, Medicinæ candidati, qui virtutis amore & honestâ gloriæ cupiditate excitati, sui profectus in Arte nostrâ à Facultate Medicâ submissè petierunt testimonium, quod ipsis denegare nec volumus, nec debuimus. Privato itaq;, ad decretum & normam statutorum nostrorum, cum ipsis decenter instituto examine, tales reperti sunt, qui cum salute mortalium in publicum prodire, ac Medicinam facere, suamq; industriam & felicitatem, quam illis animum optamus, quovis tempore, ipso opere quibuslibet ostendere rectissimè queunt. Quia autem & toti Academiæ illorum nota esse debet eruditio, eos die XXI. Augusti in Auditorio majori, horis matutinis & pomeridianis de gravissimis humani corporis adfectibus publicè disputantes, ut Magnif. Dn. Rector, Reverendi item, Consultifs, clariff. Dn. Professores, Doctores, Magistri, verbi divini & Scholæ Senatoriæ Ministri, omniumq; Ordinum viri docti, studiosi, & literarum literatorumq; amantes audire, inq; vires eorum & dotes ingenij amicè ac benevolè inquirere ne graveatur, etiam atq; etiam optamus & oramus, omnibus & singulis in simili vel & aliâ re gratâ studium & officium nostrum vicissim semper probaturi: Bene valete.

P.P. sub sigillo Decanatus nostri, die Laurentij, anno XXVIII.
















proficiens. subsistentiæ vires, rebus quas peperit.  
Neq; verò quod diximus, tantù Naturæ propri-  
nere & essentiam dare, verum etiam rebus ipsis  
sistentiam præbet, vim quandam naturalem, &  
potentiam & virtutem infundere, quâ quod ea  
cõgruit, ipsæ per se efficere queant. Quidquid est  
illa planta suâ iogenitâ efficaciâ producere val-  
habet à Naturâ, cui à divinâ volûtate, potestate a-  
one statim ab initio, in primâ creatione, vis illa fit  
& concessa. Et ab hoc principio seminario, ut pro-  
dividua specierum, ita & proprietates essential-  
cificæ, in omnibus, quæ seminio univoco, vel æq;  
analogo nascuntur. Itaq; fieri aliquid homine  
columbam, ranam, rosam, cichorium, aurum, bis-  
stallum à Naturâ, & seminario principio: ex quo  
quid nutrimentum, medicamentũ, purgans, alte-  
rans, venenum, vel alexipharmacum esse depen-  
enim in his, quæ à Naturâ gubernantur, ociosum  
re casuq; factum est, sed constant res naturales,  
viribus, effectibusq; quibus in opere esse pro-  
meritò dicuntur, ut istorum causâ propriissimam  
tuatur, ita tamen, ut extra res naturales non sic  
& efficientes externa: causæ ac finis. Inest pro-  
bus ipsis Naturæ, non quidem per accidens, sicut  
primæ, atq; secundæ, reliquaq; rerum accidenti-  
rebus insiat, ab ijs tamen removeri absq; subjecti-  
one queunt: Non sic autem Naturæ, quæ ita in  
quam pars substantiæ ejus primaria & necessaria  
dem corruptâ, necesse est compositum quodq; e-  
naturâ corrumpi, & interire. Atq; ita quam si-  
brevisimis, quid Naturæ sit, quid possit, & quæ  
ficiat, expeditivimus. & audivimus Naturæ ben-

